



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 1. Historica descriptio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

CAPVT IV.

Laponia Moschouitica.

PORRIGITVR ad mare Septentrionale, & ab aliis Leporia dicitur, discerniturque in tres Prouincias, quæ sic appellantur.

MARITIMA LEPORIA } *Mouremanskoi Leporie*, in Septentrionem maxime vergit, & hic portus *Kola* dictus Batauis notissimus.

TERSA LEPORIA } *Terskoy Leporie*, supra Granduicum sinum extenditur, vbi locus *Iockena*: vrsis albis ferocissimis tota hæc regio abundat.

GRANDVICENSIS LEPORIA } *Bella-moreskoy Leporie*, infra sinum Granduicum iacet, vnde ei nomen inditum: hunc enim sinum Album dictum indigenæ vocant *Bella-more*, & multis Infulis distinguitur.

CAPVT V.

De Minore Tartaria, seu Precopensi.§. I. *Historica descriptio.*NVM. I. *Nomen.*

VNDE dicti Tartari dicemus in Asia cum de Tartaris agemus, quibus hi compositi dicuntur parui, seu eorum Regio *Minor* sicum *Magna* conferatur. Appellantur item & *Precopenses* ab vrbe *Precops*, ad Isthmum *Tauricæ*: insuper *Krimenses*, seu *Krimscy* ab vrbe *Krim*: denique *Vlani* ab eorum Chamo, seu Duce, qui primus *Tauricam* inuasit.

NVM. 2. *Quantitas.*

Longitudo eius à confluentiis minoris *Tanaïs* in maiorem, ad ostia *Borysthenis*, seu *Nieper*, reuocata ad maiorem circulum dat

Parall. Geogr. Tom. II.

Hh

vndecim gradus cum dimidio, igitur milliaria 661. leucas Francicas 330 $\frac{1}{2}$. Germanicas 165 $\frac{1}{4}$, Russica Voreft 880.

Latitudo autem à Pro. *Famar*, in extrema Peninsulâ ad minoris Tanais Septentrionalem flexum, dat magni circuli sex totos gradus, ideóque 360. milliaria, leucas nostrates 180. Germanicas 90. Russica Voreft 480.

N V M. 3. *Qualitas.*

TOTA hæc regio feracissima, etiam extra Tauricam licet vulgè parùm colatur. Quinquagesima frumenti ab aruis exigitur, centesima milij. Equos alit paruos & deformes, sed fortissimos, laborisque & inedia patientissimos, videlicet vescuntur sæpè tantùm herbis, & frondibus, immo & radicibus quas vngulis scalpunt. Boues hîc prægrandes, & pingues ob læta pascua, & potissimùm circa Borysthenem, quem Fluuium aiunt melle, & lacte fluere: melle quidem, quia ex melliferâ regione prouenit, lacte autem quia versus mare pascuis insulis distinguitur. Populosa est in primis Tartaria, quoniam hîc plures vxores ducuntur. Certè vnus memoratur in Historia 40. liberos eodem anno ex variis coniugibus suscepisse.

N V M. 4. *Mores.*

PATIENTISSIMI sunt laboris, viuunt sine luxu in vestibis, in mensâ; plerumque triduo abstinent à cibo, & potu: tum se cibo sic ingurgitant vt triduo dormiant. In itinere venas equis incidunt, & sanguinem exsugunt, idque putant animantibus vtile. Capita equorum in deliciis ponunt. In bello dum fugiunt maximè cauendi sunt, nam tela à tergo peritè vibrant. Dum pugnant ita se in equo contorquent, vt certis numquam pateant ictibus. Utuntur in viâ stellâ polari: in eodem loco diu non consistunt, immo & hoc inimicis imprecantur, vt diu in eodē loco viuant quemadmodum Christiani. Captiuos Polonos vendunt Turcis, aut sibi mancipia retinent, virgines sibi reseruant, sunt enim supra modum libidinosi: seniores, & inutiles telis iuuenum conficiendos obiciunt, decollandos ferro, lapidibus obruendos; is enim est iuuentutis ludus. Semiuiui etiam calcibus, & dentibus pugnant, &

tum maximè timendi cùm expirant. Iustitia apud eos nulla; cùm quis accusatur furti respondet se eâ re quam furatus est indignisse; tum Iudex, tu similiter furi rape cùm indigueris. Homicida omnibus bonis spoliatur; dat tamen ei iudex vilem equum, & arcum, monètque vt rem suam curet. Terram colere putant opus indignum homine: quid igitur agunt? expoliunt arma, expeditiones meditantur. Lacte equino libentiùs vtuntur, putant enim impinguare. Qui vinum biberit fustuario mulctatur. Numquam ad currum equos religant, sed boues; idque turpissimum iudicant. Aut in curribus degunt, aut in mapalibus raptim excitatis. Nemo vestis genus mutare audet, probè enim fustibus cæditur qui in alienum cultum degenerauerit. Adulterium punitur morte. Pueri Arabicè discunt, vt Alcoranum intelligant. Si sponsa aut sponsus non consummato matrimonio inoriuntur, ridiculis cerimoniis effertur. Terrâ mortuos suos obruunt, cùm plerique Tartari aliter eos sepeliant.

N V M. 5. *Religio.*

SI quam Religionem sequuntur Mahumeti sectæ addicti sunt, plerique enim Tartarorum Athei, omniâque ad voluptatem corporis referunt. Hic tamen plerique Christiani cum suo Episcopo, quorum duæ pulcherrimæ Ecclesiæ Caffæ. Hic etiam Armeni, & Iudæi suis legibus viuunt.

N V M. 6. *Politia.*

VNVS hic Princeps rerum potitur dictus *Kan*, seu *Han*, hoc est Rex, Latinè *Caganus*, aliter *Czar*, hoc est *Cæsar*, aut Imperator, cui semper adiicitur proprium nomen, hoc modo *Abdikiray Kan*. Is filium aut fratrem successorem eligit, quem *Galga* nominat. Qui orti sunt ex familiâ Regiâ dicuntur *Vlani*, filij Principis *Sultani*. Primum aiunt quidam vocatum esse *Lochtonem*, alij *Vlanum* quem ex virgine natum fabulantur. Solet hic Princeps educere equitum 120. millia, & *Circassis* aliisque vicinis coniunctus, 200. millia. Facile transmittunt fluuios equis suis, ad quorum caudas religant arborum ramos implexos, quibus supellectilem imponunt. Si latior fuerit amnis, aut æstuarium viliores maectant equos, & ex eorum

Hh ij

pellibus diligentissimè cymbas cōficiunt, eisque vegetiores equos adnectunt. In castris nihil deperit, fures enim seuerissimè excipiuntur. Non habet certum vectigal hic Princeps, sed eius diuitiæ in eo sitæ sunt, ex singulis captiuis nobilioribus seponit sibi tres Sultanos *sequins*, ex vilioribus aureum nostrum, seu thalerum Germanicum. Mediam partem vectigalium Tauricæ sibi reseruat, alteram enim sibi Turca vendicat. Accipit etiam in dies singulos à Turca 24. aureos, Galga 12. Senatores, item aliquid nummorum; ipse vicissim reponit Ottomano, captiuos Christianos 300. pelles, sal & butyrum. Moldauus offert Chamus quotannis 20. currus mellis, quorum singulis quatuor alligantur boues, & præterea equas 50. Polonus 40. millia Sultanorum Hungaricorum, quod vectigal nomine pensionis obuelat. Tollit etiã aliquid ex Circassis, & Nogaïs. Olim Turcorum fratres dicebantur, nunc verè subditi sunt, ex quo Osmanus Bassa ex bello Persico redux eos aggressus est tempore Amurati, sub finem superioris sæculi, & Chamum in frustra concidit à suis proditum. Nunc enim Beglierbegus Caffæ residet, & plerisque vrbibus Tauricæ imperat, vt mox dicemus. Fodinas omnes auri & argenti Ottomano seruandas curat, & Tartaros in officio continet. Mortuo tamen Beglierbego Chamus Tartaricus negotia Ottomanorum curat, donec alius Præfectus Constantinopoli emittatur. Item etiam ex Portâ honoris causâ mittitur ad Chamum vexillum ex serico, aut viride, aut purpureum, quo in præliis vtatur, & coguntur alij Tartari Turcæ vectigales, aut fœderati coniungere cum eo copias suas, quoties in Christianos expeditiones molitur, aut res Ottomanicæ id flagitant.

MINORIS TARTARIÆ,

seu Precopensis diuisio.

TAR-	PENIN- SVLA dicta	}	GAZARIA, seu	}	CAFFA: Caffa.
			PRECOPIA		Soldadia: Sogdat.
			TVRCICA		Chersona: Sarigermen.
TA-	PRE- COPIA <i>Precopz</i>	}	CVMANIA, seu	}	PRECOPIA: <i>Precopz.</i>
			PRECOPIA		Crimea: <i>Krim.</i>
			TARTARICA		Baccasara: <i>Baccasar.</i>

RIA	CON-	CRI- MEA pro- priè dicta	}	O CIAKO-	}	Ociakouia : Okzakou,
MI-				VIENSES		Chami sedes in Podo-
NOR	TI-				}	liâ vltra Borysthenem.
SEV				OSSOVIENSES		Tanais : Tana, seu
PRE-	NENS	TAR-	}	IN	}	BIALOGRODENSES : Bia-
CO-				EVRO-		logrod.
PEN-	dicta	CON-		PA	}	DOBRVSSENSES : Dobruffe.
SIS.				FOE-		}
	Krimea	DE-	ASIA	gais.		
		RATI				CIRCASSI : les Circasses.
						PETIGORSKII : les Peti-
						goriz.

§. 2. Minoris Tartaria Geographica descriptio.

ACCENSIVIMVS huic Tartaros qui non continentur prædictis limitibus, non possunt tamen ad aliud reuocari caput, & certè sese prædictis adiungunt in excursionibus suis. Tractus autem Borysthenæ, minori Tanai, & Psola fluuiis restrictus in duas partes distinguitur in Precopiam, & Krimeam. Krimea autem aut Krimia dicta est ab vrbe *Krimia* in Tauricâ Chersoneso, vnde hic tractus totus nomen accepit: quod etiam retinet in præsentia, maioris autem distinctionis gratia pars extra Isthmum nomen Krimeæ retinuit, Peninsula Precopia dicta est ab vrbe *Precopz*, & ab illa exordiemur.

N V M. I. *Precopia, olim Taurica Chersonesus.*

DE variis huius Chersonesi nominibus antiquis, qui plura vobis videat Ortelij thesaurum, vbi hæc videbit digesta. Ex quo autem à Tartaris occupata est, videtur in duas partita esse regiunculas, seu districtus. Marius Niger putat partem Septentrionalem dictam esse *Gazariam*, Meridionalem *Gothiam*. Peritiores tamen hanc diuisionem retinentes Borealem partem Cumaniam cum

Hh iij